



Wiener Stadt-Bibliothek.

4883

A







A p p e n d i x  
a d  
**H i s t o r i a m**  
Mellico - Gottwicensem.

Dissertatio juridica  
de  
**J u r i b u s A b b a t u m .**

A b  
Aemiliano Janitsch,  
Professo Gottwicensi.



E d i t i o S e c u n d a .

---

Viennae 1820.  
Typis Antonii Strauss.

*Intentio judicat omnes.*

---

## P r a e f a t i o .

---

Triginta sex anni elapsi sunt, quod dissertationem meam, de juribus Abbatum, latino idiomate adornaverim, et deinde, anno quippe 1793 lingua vernacula publicii juris fecerim. Post tot annorum curriculum, mutatis circumstantiis, e re fore censebam, eandem dissertationem prelo subjicere, tum ideo, ut eos ex adversariis meis, qui numerosas meas lucubrationes, idiomate germanico editas, ab ignorantia linguae latinae repetebant, de opposito convincam, quum propterea etiam, ut historiam monasteriorum Mellicii, et Gottwici tali dissertatione concludam,

III

quae jura et officia Abbatum, et obli-  
gationes Monachorum erga suos Abba-  
tes recenseat. Abbates et monachi sua  
habent jura et officia, utinam eisdem eo  
cum effectu intendant, ut disciplina mo-  
nastica pristino vigori restituatur, id  
quod unice in votis habeo.

Dabam Haindorpii III. Kal. Maii 1820.

*Aemilianus Janitsch.*

---

## Caput I.

Quid nomine Abbatis veniat?

§. II.

Si vestigiis Philosophi, qui l. 2. de post-praed. cap. II. in investigatione cuiusque rei quaerendum esse, inquit, an res sit? quid sit? et propter quid sit? inhaerere fas est, nomen *Abbatis* contra quosdam ab hebreo verbo *Abba* derivamus, quod vocabulum latino sermone *Pater* interpretatur: hujus derivationis meminit S. Hier. in epist. ad Gal. 4., ubi dicit: „*Cum autem Abba pater hebreo sermone, syroque dicatur etc.*” Abbatis autem nomen ex primaeva sui institutione nomen paternae solicitudinis ac curae domesticae, redintegranda deque regularis disciplinae obligationem, et potestatem continet; at successu temporis, nescio quo infelici fato factum id sit? degenerare ab instituto suo nonnihil coepit, ita ut pedetentim, quod hodie dum cernimus, veram, eamque

quasi episcopalem jurisdictionem importaret,  
uti videre est cāa 18. q. 2. et cap. *cum ad  
monast.* de statu Monach. in VI.

§. II.

Vere itaque, et quoad rem Abbates sunt  
ii, qui monasteriis praesunt, et caput mona-  
chorum sunt, prout loquitur S. Bened. c.  
2. Abbas non abs ratione eligitur, sed, ut ca-  
pite constituto Schysmatis tollatur occasio S.  
Hier. l. 1. contra Jovinian. Et quamquam pri-  
mis in Aegypto monachis haec Abbates sibi  
eligendi politia incognita esset, ea tamen  
posteriori aevo invaluit, rationem de congrui-  
tate nobis suppeditat conc. Trid. sess. 23.  
c. 6. quando dicit: *Quemadmodum enim  
tota hierarchia ecclesiastica constat ex  
Episcopis, Parochis etc. et unico supremo  
Christi in terris vicario summo Pontifice,  
ita hierarchia regularis suis non desti-  
tuenda est gradibus, conventuales alii  
sunt, quos in diaconos, in praesbyteros,  
in oeconomos, in magystros, Piores or-  
dinatim distinctos videmus, quibus omni-*

*bus Abbas palmam, praeripit, et tantam  
in suos habet jurisdictionem, ut contra  
eos procedere possit per liberam disposi-  
tionem correctionem paternam etc. idem  
habetur c. 3. de off. jud. deleg. et c. de pri-  
vil. in VI.*

### §. III.

Caeterum, ut aliqua saltim de Abbatum,  
quantum in compendio dici potest, diversi-  
tate notitia habeatur, eorumdem varia sub-  
nectere genera super vacaneum haud fore ar-  
bitror. Primo itaque dispesci possunt in *Re-  
gulares*, et *Saeculares*, hi scinduntur in  
*proprie tales*, et in *tales improprie*, quales  
prioribus saeculis fuere illi, qui sacris ordi-  
nibus non fuerunt insigniti; constat enim te-  
ste Suitigero in chron. Franc. Gall. quod non  
omnes Abbates in antiquis historiis monachi  
sint, aut Religiosi, sed Barones, Magnates-  
que saeculares, quibus Abbatias, vel Mo-  
nasteria, Principes saeculares, sicut de Ca-  
rolo Calvo, et Ludovico Francorum Regibus  
testatur Filesacius, dederunt ad tempus,

vel quoad vitam, videsis Alciat. c. 5. in l. collegarum dig. de V. S. Abbates regulares rursus in varias secantur classes, alii enim *titulares* sunt, qui collegio Canonicorum respective non praesunt, praerogativam tamen in choro, et honoratiorem p[ro]a reliquis locum occupant, alii sunt *Fiduciarii*, qui etiam alio nomine *commendatitii* audiuntur, quorum origo primum a Leône IV. caa 21. c. 3. q. 1. repetenda est.

At cum commendationes hujusmodi, quarum usus in antiqua Ecclesia frequens erat, ut colligitur ex c. *obitum* dist. 61., in exitium totius disciplinae monasticae vergere videretur a Clem. V. per extrav. inter communes 2. de praeb. ex integrō cassatae, annullatae, et revocatae sunt. Nihilominus tamen jam penitus fere extinctae sub Urb. VI. et Bonif. IX. suas rursus resumsere vires, adque nostram usque actatem praecipue in Gallia perdurant in solam Commendatiorum utilitatem.

Præterea Abbates pure regulares vel tales sunt, qui lituo tantum, aut pedo utun-

tur pastorali, vel vere insulati, pontificalibus resplendent insignibus, isti dispescuntur in *Conventuales*, quorum singulis singuli praesunt monasteriis, et *Generales*, quorum origo antiquissima est, qui integris praesunt congregationibus.

Porro dividuntur in *exemptos* et *non exemptos*, quae divisio hodieum in terris austriacis supervacanea est; quippe cum per rescript. Caes. de 30. Octobris 1782, omnes exemptiones Abbatiarum regularium, nec non communicationes cum curia Romana annullatae sint.

#### §. IV.

His in compendio recensitis ad scopum, quem nobis statim ab initio propositum, dilucidandum accingimur: pauca igitur circa officia, jura, obligationesque Abbatum delibabimur: I. sciat, Abbas, inquit S. P. Bened. c. 2. sua regulae, *culpae pastoris, incumbere quidquid in ovibus paterf. utilitatis potuerit invenire.* Vult hic S. Legislator insinuare, ut Abbas gregem suum eu-

rae suae , ac vigilantiae concreditum sedulo  
contempletur , illumque salubri verbo , et  
exemplo non sicto pascat , ut dignam aliquan-  
do coram supremo judice , qui corda , et re-  
nes mortalium intuetur , rationem reddere  
valeat .

Memor sit , prosequitur S. Pater , Abbas ,  
sibi perfectam incumbere obligationem , ut  
oves suas ad veram religiosae vocationis se-  
mitam perducat , earumque actiones ad  
utrumque aeternae videlicet salutis , et opta-  
tum Civitatis finem per regularem votorum  
observantiam , ac per genuinas , sine quibus  
regularis disciplina difficile obtinetur , libera-  
les artes dirigat , quod haud facile faciet , ni-  
si quemlibet suorum , quantum humana nosse  
sinit fragilitas , noverit ; quum etenim siet , ut  
actiones illius , quem non novit , ad praefixam  
semitam queat dirigere ?

Porro Abbas in partem laboris , ac pa-  
ternae solicitudinis Fratrem , qui sciat pro-  
ferre nova , et vetera , ut sic sibi reveren-  
tiam conciliet , vocet (utinam id caeteris Fra-  
tribus consentientibus , sicut S. Pater c. 3.

11

S. Reg. haud obscure svadet, fieret! lege cap.  
45. Reg. S. Bened.: *Frater autem, inquit Petr. Damiani opusc. 15. c. 16, cui ab Abbeate cura in Fratres demandata est, meminerit, quod, sicut Abbas per omne, quod agit, ad amorem Christi regularemque observantiam debeat suos Fratres, quos ad tempus regendos suscepit, provocare.*  
Videsis cap. 21. Reg. S. Bened. conf. conc. Trid. sess. 23. c. 1. de reform.

Tandem memor sit Abbas, quod maxima infirmorum cura habenda sit, quam D. Legislator expressis verbis commendat, dum dicit c. 36. S. Reg. *Fratribus infirmis ante omnia, et super omnia charitatis ministerium exhibeat, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur.* Et ut pro coronide hujus capit is paucis multa complectar, caveat sibi Abbas, ne partium studio, quod sane pessimum vitium est, affectus uni magis, quam alteri, nisi eum in actibus bonis, et in obedientia invenerit meliorem c. 2. S. Reg. faveat.

Ex his omnibus, quae hoc capite attulimus, facile est eruere, quod nomen Abba-

tis non merum honorem, meramque dignitatem involvat, onus committatur praeterea, et sociam debet habere sollicitudinem, ut suis de animarum salute, de victu, et amictu quantum ratio status exigit, provideatur: *Gerat, inquit S. Pater cit. cap. sollicitudinem de rebus transitoriis, terrenis, atque cadi-  
ducis, sed semper cogitet, quod animas suscepit regendas, de quibus et rationem redditurus est; et ne causetur de minori forte substantia, meminerit scriptum quaerite etc.*

### §. V.

Discussis igitur conformiter ad S. Reg. Abbatis obligationibus, jam reliquum est, ut quaedam de jurisdictione, quam in suos exercet, adscribamus. Ne vero confusio decisioni irrepatur, sciendum est, quod Abbes in Germ. qui exemptione gaudebant, jurisdictionem quasi episcopalem in suos exercuerint, ita ut inspectioni Ordinarii non nisi in quibusdam casibus in conc. Trid. sess. 25. c. 12 et 13. recensitis obnoxii fuerint. At

annullatis exemptionibus in Germ. jus *commune vetus*, quo cautum erat, ut monachi in omnibus subjecti essent suis Ordinariis, prout videre est c. 5. conc. Tolet. 3. et can. 50. eod. item cap. *monasteria* cāa 16. q. 5. et cap. *qui in vere cum aliis seqq.* cāa 16. q. 1. observatur.

## §. VI.

Ca eterum operae praetium est, hic pauca quaedam de origine, et progressu monasticae exemptionis adnectere: Imprimis certum est teste S. Aug. l. 1. de moribus Eccles. cap. 31. et Cassiano collat. 18. c. 4. quod monachi ex instituto suo laici fuerint, ac olim disciplinae laicali non autem clericali subjecti; quare etiam factum est, ut, prout S. Athan. in apolog. pro fuga testatur, cum reliquis de plebe ad Ecclesiās parochiales convenirent; hinc S. Hier. apud Gratian. can. 16. q. 1. c. 6. *aliam causa monachorum est, inquit, alia clericorum, clericī pascunt oves, ego pascor, illi de altari vivunt, mihi quasi infructuosae arbori securis po-*

*nitur ad radicem, si munus ad altare  
non defero.*

Quae cum ita sint, mirum non est, si dicamus, monachos antiquitus praecipue tribus primis saeculis in spiritualibus inspectiōni Episcoporum, in temporalibus vero potestati civili fuisse subjectos, donec Marcianus Imp. an. 451. in conc. chalced. act. 6. juri suo cederet, ac monachos jurisdictioni episcopali plene subjiceret, cui decisioni correspondet can. 4. ejusd. con. ubi expresse dicitur: *Monachi autem qui sunt in una quaque civitate, aut regione episcopo subjecti sint: paria habentur in Nov. 67. et Nov. 113. c. 21.* ubi clare dicit Justinian.: *Si quis contra clericum vel monachum habeat actionem, adeat prius Episcopum, cui horum uniusquisque subjaceat.* Confer. l. 40 cod. de Cler. et Episc. et c. 7. et 21. conc. Aurelian. Apud Gratian. cāa 18. q. 2. c. 16. ex quibus Canonissae sequens axioma derivarunt: *ad episcopum pertinet omnis causa suae dioeceseos, tam in monasteriis, quam aliis ecclesiis.*

Plenaria haec episcoporum in monachos  
jurisdictio usque ad Saec. 6. inconcussa per-  
mansit, at in fine hujus diminui coepit; fun-  
datores namque, cum aegrae ferrent, quod  
pax, quiesque monachorum a se fundatorum  
turbaretur ab episcopis, qui et bona tempo-  
ralia eorum praeter voluntatem patronorum  
in suos usus convertebant, immunitates,  
exemptionesque postulare, et impetrare coe-  
perunt: videsis quaerelas contra abusus  
episcoporum in can. 21. conc. Tolet. 4. et  
can. 2. con. Tolet. 9. qui habetur can. 32.  
câa 16. q. 7. Tituli vero, quos episcopi fin-  
gebant, ut monachorum jactura ditescerent,  
hi, et his similes fuere:  $\alpha$ ) titulus cathedra-  
lici, ratione ordinationis;  $\beta$ ) Saec. enim VII.  
plures jam monachi sacros ordines suscep-  
runt.  $\gamma$ ) V. propter S. Crysma, S.  $\delta$ ) propter  
Abbatum benedictionem, petebant quoque sy-  
nodaticum ad sublevandum clerum ad syno-  
dum proficiscentem etc. Praecipua autem ra-  
tio, cur fundatores, ut monachi essent exemp-  
ti, postularent, erat, quia episcopi adempta  
monachis libera suorum Abbatum electione

ipis extraneos, et interdum in proprium com-  
modum consanguineos suos praeficiebant, et  
vel ideo conquesti sunt apud S. Greg. l. 7.  
epist. 33. indict. 1. monachi Castellienses.

Ex his, et aliis. quae refert Cl. Van Es-  
penius Jur. Can. t. 1. p. 3. pag. 184. h. t.  
facile est eruere, quod antiquitus exemptio  
monachorum in eo consideret, ut liberam  
suorum Abbatum electionem, et quietam suo-  
rum honorum possessionem, dispositionem-  
que haberent, *salva tamen diligentia dis-  
ciplinae, quam debet episcopus circa eos  
adhibere*, ut dicitur c. 1. x. de stat. mon.  
confer caâm 18. q. 2. can. 5. et 6. Privilegia  
itaque, seu immunitates monachorum Saec.  
6. et seqq. ab episcopis dimanasse testis est  
Marculfus Monachus, qui, quod Hieron. Big-  
nonius in duobus lib. formularum asserit,  
sub Landerico Ep. Paris. floruit, haec pri-  
vilegia an. 1002. in syn. Rom. sub. Sylv. II.  
R. P. adprobata fuere; has immunitates autem  
de bonorum temporalium possessione velim  
intelligas, quod patet ex epist. Bened. III.,  
quae prostat tom. 8. Conc. Gen. col. 235.

ubi dicitur: *Abbas Corbejensis petiit, ut nostraē authoritatis privilegium super electionis propriae statu, et rerum suarum libera possessione, seu dispensatione prae-dicto monasterio Corbeensi concedere-mus: quo, quid clarius?* Eodem fere modo idem privilegium confirmavit Nicolaus I. in epist. 24. ad Trasulem Abbatem Corbejae.

Ut autem ad scopum nostrum proprius accedamus sciendum est, exemptionem, prout Saec. XII. invaluit, esse libertatem illimitatam a potestate, et jurisdictione Episcopi cum immediata subjectione sedi apostolicae. Hanc speciem S. Bern. epist. 42. maluit vocare emancipationem, quam privilegium: *spoliant, ait Abbates, Ecclesias, ut emancipentur, redimunt se, ne obedient:* et sane haud incongrue dicitur emancipatio, quia a patria, id est ab Episcopi jurisdictione et potestate solvit.

Ast, quo tempore exemptiones hujusmodi Ecclesiae innotuerint, inter eruditos magna lis est: qui earum originem a Greg. M. repetunt; isti id unum, quod etiam nos ul-

tro damūs; evicunt, quod immunitatem quoad temporalium dispositionem, liberamque Abbatis electionem Mon. S. Medardi benigne indulserit, nec ullibi a subjectione Episcopi eximit, immo in epist. 24. l. 2. indict. 10 clare dicit: *Qui se contra praepositos suos erigunt, profecto ostendunt, quia servi Dei esse contemnunt,* per praepositos hic intelligi episcopos contextus docet, testaturque Joan. Lannoius Thlūs Paris. inquis. in priv. Greg. P. Monast. S. Medar.

Christianus Lupus in scoliis ad can. 4. con. chalced. asserit, exemptiones ab hoc conc. dimanasse; at rursus de immunitate temporalium hic sermo est, quia ibi expresse dicitur: *Ne Episcopus monachos, nec ecclesiasticis eos conditionibus subdat, nec angariis subjiciat, et liberam Abbatis electionem permittat.* Conf. Van. Esp. l. cit. pag. 188.

Alii repetunt exemptiones ex epist. Adeodati P., quae prostat t. 6. Cone. Gen. col. 523. et scripta fertur circa annum 657. In hac conceditur privilegium Abatti Monast.

S. Mart. Turon., verum privilegium isthoc  
Papebrochius in propilaeo antiquario t. 2. p.  
1. c. 10. num. 127. inter fictitia refert, et  
non abs ratione, cum in eadem epist. legatur:  
*religiosus praesbyter, et Abbas*, quoniam  
Abbes seculares, qui religiosi praesbyteri  
vocabantur, Saeculo primum XII. innotue-  
runt. Caeterum dato etiam illud genuinum  
esse, ex eo tamen, nil sequitur, quippe cum  
ex integro textu adpareat, quod Papa nolue-  
rit dare privilegium, nisi postquam explorata-  
tum haberet, episcopos jam tum illud dedisse,  
aut saltem consentire voluisse, quod et soli-  
cite cavit, ubi in fine, adjicit hanc clausulam:  
*Quod etiam praesules consona sententia*  
*definierunt.*

Quidquid sit, nobis interim certum est,  
quod ante Saec. XII. monasteria exempta no-  
ta haud fuerint, ante istud enim nullae cir-  
ca exemptiones quaerelae inveniuntur; pri-  
mus inter omnes, quantum constat, erat S.  
Bern. qui init. Saec. XII. in epist. ad Henr.  
Senon. Archiep. sive in Tract. de mor. et  
off. Episcopi c. 9. circa eas conquaerebatur:

*Miror, ait, quosdam in nostro ordine Abbates hanc humilitatis regulam odiosam contentione infringere, et sub humili, quod pejus est, habitu, et tonsura tam superbe sapere ut, cum ne unum quidem verbum de suis imperiis subditos suos praetergredi patientur, ipsi propriis obediere episcopis contemnunt, spolient Ecclesiastis etc. ut supra. Quod ipsum scripsit ad Cluniacen. ut patet ex epist. 28. l. 1. Ven. Petri Abb. Cluniae.*

Circa idem tempus in Anglia contra exemptiones calatum strinxit Petr. Blesensis in epist. 68. quae innotescit sub nomine Richardi Archiep. Cantuar. ad Alex. III. ubi ait: *Contra Primates, et episcopos intumescent Abbates, nec est, qui majoribus suis reverentiam exhibeat, et honorem: Evacuatum est obedientiae jugum, in quo erat unica spes salutis, et praevariations antiquae remedium, abhorrent Abbates habere suorum excessuum correctores, vagam immunitatis licentiam amplectuntur - - - Abbates exterius curam carnis*

*in desideriis agunt, non curantes dummodo laute exhibeantur, et fiat pax in diebus eorum. Claustrales vero tanquam acephali otio vacant, et vaniloquio, nec enim praesidem habent, qui eos ad frugem vitae melioris, seu scientias inclinet.* Idem fere habet in epist. 90, in qua fratrem suum, qui in Abbatem Muniacensem electus erat, ita alloquitur: *si Romanus P. a jurisdictione vestri episcopi vos exemit, nolite quaeso uti privilegio, quod materiam rebellionis inducit.* Eodem declinante Saeculo XII. contra exemptiones scripsit Joannes Saresberiensis Episc. Carnotensis l. 7. c. 21. de nug. Curial. His consonat Joannes Cantor, qui in fine Saec. XII. vixit, in l. contra eos, qui exuunt se a jurisdictione suorum praelatorum, ubi ait: *Cum quaelibet provincia suum habeat Metropolitanum, quaelibet Dioecesis suum Episcopum, absurdum et enorme videtur, Ecclesiam vel Abbatem esse in ejus episcopatu, et non sub episcopo ejus dioeceseos, in qua est.*

Ex his omnibus paulo prius adductis fa-

cile est concludere , quod exemptiones Saec. XII. in Ecclesia invaluerint, quippe cum ante isthoc nullas plane quaerelas contra easdem reperire est, quae tamen per posteriora Saecula fuere continuatae, ut videre est in cap. 5. x. de priv. quod desumptum est ex con. Later. III. sub Alex. III. 1179. celebrato , item ex Later. IV. sub Innoc. III. 1245. habito , prout habetur cap. 12. x. de excessibus. Confer Baronium ad annum 678. et 1312. num. 24 , et Conc. Trid. sess. 24. c. 11. de reform.

Gaeterum quamvis per constitutiones summorum PP. et per decreta conciliorum limites ponerentur exemptionibus , nihilominus tempore Conc. Trid. tot abusus superfuere , ut nova rursus inquisitione , ac reformatione opus esset.

Imprimis , ut quaedam circa exemptiones reformatio fieret , conventus a Paulo III. indictus petiit his verbis : *Alius abusus vanus , et minime tolerandus , quo universus populus christianus scandalizatur , est ex impedimentis , quae inferuntur episco-*

*pis - - - Nam primo multis viis eximunt  
se mali homines, praesertim Clerici: (ante  
Cone. Trid. etiam quaedam personae saecu-  
lares immunitate a jurisdictione episcopi  
gaudebant), ab inspectione sui ordinarii:  
Dein, si sunt exempti, confugiunt statim  
ad poenitentiariam, vel ad Datariam,  
ubi confestim inveniunt viam impunitati,  
et quod pejus est, ob pecuniam praestita-  
tam - - - tollantur obtestamur Sanctita-  
tem Tuam per sanguinem Xti, qui rede-  
mit etc.*

Quae autem Episcoporum, et principum  
Germ. circa exemptiones sententia fuerit,  
colligere est ex art. 4. ex iis, quos pro re-  
form. obtulerant, ubi legitur: revocandas es-  
se omnes exemptiones contra jura commu-  
nia passim concessas, monasteriaque omnia  
sub Episcopi potestate constituenda, sub cu-  
jus sunt Dioecesi. Galli verò paulo mitius  
agebant, dum peterent, ut monasteriorum  
quaedam tantum exemptiones abrogarentur,  
quod ex art. 26. capitulat. eruimus. Videsis  
les mémoires pour le concile de Trente pag.

372. edit. anni 1654. Idem fecerunt Hispani  
teste Palavie l. 22. hist. Conc. Trid. c. 10.  
num. 3 His precibus motum Conc. Trid. exemptiones,  
cum eas conformiter ad petitionem  
Germanorum penitus abrogare non posset,  
reformare coepit, et quidem 1. sess. 6. cap.  
3. de reform. cavit, quod Clerici sive regu-  
lares, sive saeculares extra claustra degen-  
tes, nisi deputati sint a suis superioribus,  
exemptione non gaudeant; 2. Religiosis stu-  
diis extra claustra vacantibus, si deliquerint  
ab ordinario paena dictanda est, sess. 25. c.  
4. h. t. et eadem sess. c. 14. statuitur, quod  
religiosus intra claustra degens, si populo  
scandalum dederit, poenae episcopali sub-  
jaceat, quod ipsum in Conc. Lugdun. sess.  
7. c. 14. de reform. cautum est. Vide sess.  
14. h. t. in qua omnes exempti Episcopis  
tanquam delegatis sedis apostolicae subjiciuntur,  
item sess. 24. ubi clare dicitur, quod  
privilegia, et exemptiones, quae variis titu-  
lis plerisque dantur, hodie perturbationem  
in episcoporum jurisdictione excitant, et  
exemptis occasionem laxioris vitae praebent.

Paria fere habentur sess. 22. c. 8. et 9. sess.  
21. c. 8. et sess. 25. c. 11. et 12. de regula-  
ribus.

Caeterum harum exceptionum usus apud  
nos hodie dom nullus est, eo quod omnes  
exemptiones per rescriptum Josephi II. fel.  
Regiminis annullatae sint, ac cassatae. Hoc ta-  
men non obstante rescripto Abbatibus quaet-  
dam praeeminentia tam in choro, quam in ca-  
pitulo, vel alio quopiam loco propria est: dari  
autem in Ecclesia quam teste Greg. M. Chri-  
stus humilitate vult crescere, ordinum, et gra-  
duum inaequalitatem superbiae non tribuas,  
clarior hoc namque modo divina elucescit sa-  
pientia, quae in varietate ministrorum magis-  
que commendatur, neque haec universitas,  
dicitur in can. *ad hoc. dist. 89. alia poterat*  
*ratione subsistere, nisi hujusmodi ma-*  
*gnus eam differentiae ordo servaret.* Qua-  
re in Germ. nostra indubitatum est, quod  
nomen Abbatis honorem praeseferat, ut vi-  
dere est can. si quis deinceps. caa. 16. q. 7.  
vide Malderum disp. 1. de conc. ff. dub. 4.

---

## Caput II.

De Electione, Confirmatione et Benedictione Abbatum.

### §. 1.

Si statum veteris Ecclesiae accuratius pensi-  
temus facile intuemur, dignitates, reliqua-  
que beneficia ecclesiastica liberae episcopo-  
rum collationi, liberaeque subfuisse electio-  
ni; immo extra omne dubium est olim mo-  
nachis jus sibi eligendi Abbates competisse,  
lege Reg. S. Ben. c. 64. et l. 47. cod. de  
episc. et cler. item caâm 18. q. 2. ubi glos-  
sa notat, quod haec sit secunda pars quaest.  
a Gratiano per 7. canones probata, quod  
nempe de jure communi ad Monachos tan-  
tum spectet *Abbatum electio*. Verum enim  
vero libera haec conferendi, eligendique po-  
testas successu temporis per reservationes  
papales immutata est; praeципue Saec. XII.  
per *mandata de providendo*, seu *gratia-  
rum expectativas*, quarum in sexto de-  
cret. Clement. et extrav. plura reperiuntur est ve-

stiglia... Dein sub medium Saec. XIII. per reservationes a Clem. IV. inventas, relata est haec Clem. Const. in c. 2. de praeb. et dign. in VI. Has reservationes temperavit Greg. X. in Con. Lugd. an. 1275. prout exhibetur c. 3. de praeb. in VI. circa easdem editae sunt constitutiones Bonif. VIII. an. 1295, et an. 1298 a Clem. V. vide cap. *Piae de praeb.* et dign. inter extrav. comm., et cap. *prae-senti*, h. t. in 6. item in Clem. si dubium 1. ut lite pendente. At sub an. 1324. tenente Ecclesiae gubernaculum Joan. XXII. non obstantibus praefatis constitutionibus tot invaluere reservationes, ut Curialistae hanc regulam fingerent: *Ecclesiarum, Personatum, aliorumque beneficiorum Eccl. plenam, ac liberam dispositionem ex plenitudine potestatis ad Romanum P. pertinere*, unde varii beneficia conferendi modi, qui sub diversis provisionum apostolicarum, praeventio[n]is, seu gratiarum expectativa[r]um, concursus, devolutionis, et resignatio[n]is in favorem nominibus, titulisque in orbe Christiano innotuerunt.

Conf. cap. 2. de praeb. in 6. clem. 1. ut  
lite pend. Thomasin. p. 2. l. 1. c. 47. seqq.  
Mos iste conferendi beneficia, quem tota re-  
tro ignorabat antiquitas, in Germ. nostra plu-  
rimas rixas, lites continuas, controversias  
non paucas in Ecclesiae perturbato tunc tem-  
poris sinu seminavit, donec illis per Concord.  
N. G. Frid. III. inter et Nicolaum V. an. 1447.  
et 1448 innita mederetur, vi horum concord.  
Capitulis, et Monasteriis rursus libera eli-  
gendi potestas concessa est: de origine, et  
progressu concord. vide, (nam operae pree-  
tium est), Cl. Paul. de Rieger Jur. Part. Germ.  
pag. 47 et seqq. Praeprimis autem legi me-  
retur extrav. Execrabilis 4. de praeb. de  
qua egimus in inst. J. Can. tern. 3. p. 2 item  
extrav. ad *regimen*, ut ibid.

## §. II.

Praemissis itaque iis, quae hanc, de qua  
in praesenti capite egimus, materiam con-  
cernunt, nunc reliquum est, ut, quid elec-  
tio sit? videamus. *Electio*, prout dicitur in  
cap. *quia propter* de elect. est *personae*

*idoneae ad Ecclesiam, vel sedem vacan-*  
*tem plurium suffragiis canonice facta vo-*  
*catio.* Longior propemodum, quam par es-  
 set, forem, si hic omnia, quae ad theoriam  
 de electione spectant, adscriberem, quare  
 ea alto praeterire silentio statui, ista, si sci-  
 re quis cupiat, adeat tit. 5. 6. decretalium,  
 ubi iu extenso habentur; hujus interim me-  
 minisse haud erit supervacaneum, videlicet  
 tres esse modos, quibus electio peragitur;  
 vel enim quis eligitur per *inspirationem*,  
 hujus exemplum habetur act. 15. ubi dici-  
 tur: καὶ ἐπεσεν δὲ κληρὸς ἐπὶ Μαθίαν, et  
 cecidit sors super Mathiam, aut per *qua-*  
*si inspirationem*, tali modo electus est apud  
 Euseb. hist. Ecc. c. 6. Alexander: vel tan-  
 dem per *scrutinium*, aut *compromissum*,  
 de quo in Decr. uberius.

Caeterum, ut electio suum sortiatur ef-  
 fectum requiritur, ut electores omnes in  
 unum locum congregentur ad ferenda vota,  
 et ne error, fraus, dolus irrepat in cap.  
*quia* cit. cautum est, ut tres de collegio fide-  
 digni assumantur, qui *secrete*, et *singila-*

*tim vota cunctorum exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi.* Conf. cl. Rieger. p. 2. t. 5. 6.

Hic ternarius scrutatorum numerus non abs ratione, sed, ut praecaveatur partium studio, introductus est; interim scrutatores non prius suo funguntur munere, quam duplii sesé juramento obstrinxerint: altero quidem, quo bonam in scrutinio, sinceramque fidem, et secretam, altero, quo integratatem in eligendo pollicentur, dum interea tum scrutatoribus, quam reliquis votantibus serio, priusquam se ad electionem accingant, inculcandum est, ne vota sub conditione incerta, ambigua, disjunctiva, et alternativa dent sic ex. gr. eligens illum, quem Petrus elegerit, aut eligens Petrum, vel Paulum in cassum suffragatur, et ejus votum nullum est, ut habetur c. 2. h. t. in VI.

His rite observatis collatio votorum olim numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum fiebat, qui mos abolevit, hoc unicum in Trid. retentum est, ut vota plura, quia praesumuntur saniora, inspi-

ciantur, unde liquet, quod hodie dum regula Melch. Cani, nimirum *vota numeranda non sunt, sed ponderanda*, non amplius obtineat.

Vota autem, ut canonicam efficiant electionem, debent esse plura respectu capituli, nec juvant, si majora sint respectu neoelectorum, Aliter de postulatione, quae est *petitio apud eum, ad quem jus eligendi devolvitur, ut persona quae ad electionem ob aliquod impedimentum idonea non est, eligi permittatur*, discurrendum est; quippe cum postulatus duabus tertiiis non habitis, non instituatur, unde in concursu postulationis cum electione, electus postulato antefertur, etiam alias canonica votorum pluralitate destitutus, modo suffragia pro Electo data unam tertiam ipsius postulati superrent, sic si 30 sint votantes, et postulatus habeat 19, et electus 11 vota, praefertur electus ex Cap. *scriptum 40. h. t.* Exemplum hujus, cuius meminit Cl. Pichler *t. 5*-decisione 5. *h. t.* legimus de ao 1688, die 19. Jul.

## §. III.

De cactero cuivis facile patebit, minus dignum praetermisso digniore eligi nullo plane pacto posse, quod et Cone. Trid. sess. 6. et 24. c. 1. de reform. vetuit, cui decisioni concordat c. *licet ergo* caa. 18. q. 1. ubi clare dicitur, ne eligatur, nisi, qui fuerit *sanctior et doctior*, vide Navarr. l. s. de symon. cons. 8. num. 1. et 2. Ast ingadandi hic se offert occasio, quisnam dignioris nomine veniat? pro eius intellectu sciendum est, hujusmodi majorem vel minorem dignitatem non absolute esse secundum bonitatem simpliciter, sed secundum alias etiam circumstantias dimetiendam; quare univer- sim ille non est dignior, qui alios superat probitate morum, aut scientiarum peritia, vel utraque, sed qui *Ecclesiae, et Monasterio creditur utilior* Trid. sess. 24. c. 1. de refor.

Paucis is dignior est, qui aptior inveni- tur ad redintegrarendam regularem, cuius prae- cipua cura sit oportet, disciplinam, quique

ad promovendum societatis, ac animarum curae suae concredendarum emolumentum magis reperitur idoneus; quapropter quandoque etiam minus docto, dummodo ei zelus dominus Dei, et animarum salus cordi sit, munus abbatiale, quo si quis rite fungatur artem artium, ac scientiam scientiarum possidere dicitur, deferri posse non nego.

§. IV.

Qui autem ad electionem vocandi sint? praesens dabit paragraphus, nimirum illi, qui jure gaudent eligendi, quales sunt omnes, qui de gremio sunt capituli cap. 3. de cāa poss. et propriet. Arcentur ab electione monachi proprietarii, excommunicatione majori, suspensi, novitii cap. ex eo 32. §. in Eccl. h. t. in VI.

Alia rursus hic sese offert quaestio, an videlicet ipsa professio tribuat votum, vel an requiratur praeterea, ut votans in majoribus ordinibus sit constitutus? cui quaestioni satifit, si dicatur, juri veteri contrario per conc. Trid. sess. 22. c. 4. de reform. derogatum esse adeo, ut votum in electione ab alio non detur, nisi ab eo, qui majoribus

ordinibus est insignitus, quae constitutio abs ratione lata non est ut multis probat Sylvest.  
verb. *electio* 1. q. 4.

§. V.

Electionem, quae jus in rem tribuit, se- qui debet *confirmatio*, quae de jure com- muni tribuit jus in re; confirmatio intra tri- mestre a die praestiti consensus, nisi distan- tia loci a sede confirmante excuset, petenda est, alias cessante impedimento censetur ta- cite renunciatum electioni, et haec viribus suis vacuatur cap. *quam sit* 6. h. t. in VI. et adeo necessaria est, ut neoëlectus omni- bus, quae ipsi vi electionis competunt, ju- ribus privetur, si se ante eandem per se, vel per alium administrationi, aut dignitati im- misceat, ut cautum est cap. *avaritiae de elect.* in VI. conf. c. *statuimus extrav.* de supl. negl. prael. et c. *qualiter ext. de elect.*

A quo autem ea petenda sit? et quis le- gitimus ad confirmationis effectum superior intelligatur? quaestio perquam difficilis est, quam tamen facile expediveris, si in Concord. N. G. vel parum versatus fueris, ubi cautum

est, potestatem confirmandi illi, cui potestas electiva immediate subjecta est, competere.  
Conf. C. 14 de majoritate.

Ne vero confirmatio suo frustretur effec-  
tu, cavendum est, ne omittatur *citatio peremptoria* per generale edictum in valvis Ecclesiae adfigenda; tanta namque hujus ci-  
tationis vis est, ut ipso jure electionem etiam in concordia factam, nec in minimis opu-  
gnatam irritet ex cap. fin. h. t. in VI.

Interim haud diffiteor confirmationi tan-  
tam inesse vim, ut defectus neoëlecti, qui  
jure aut naturali, aut divino positivo electio-  
nem impediunt, non suppletat licet id efficiat  
intuitu defectuum accidentalium, dummodo  
ante eandem innotuerint. arg. cap. cum di-  
lectu 4. de confirm. util. et inut. quod si  
itaqué electio ob defectum essentialiem a Pa-  
pa anulletur, beneficium ejusmodi juxta con-  
cord. ipsi reservatur.

### §. VI.

Postquam de electione, ac confirmatio-  
ne Abbatis verba fecimus, jam reliquum est  
ut et quaedam de consecratione, quae com-

muni vocabulo in Abbatе *benedictio* audit,  
adnectamus. De solemni hac, quae hodie in  
usu est, Abbatum benedictione nil in regu-  
lis monasticis, aut antiquis historiis, vel ec-  
clesiasticis monumentis occurrit: Meminit  
quidem, can. 14. Syn. VII. Abbatum, qui  
ab Episcopo manuum impositionem accepe-  
runt; sed, ut bene notat Balsamon, Zonaras,  
aliisque graeci, ibi tantum sermo est de im-  
positione manuum, qua Abbas in episcopum  
ordinabatur; hinc errat glossa ad can. 1. dist.  
69 asserens, eam impositionem esse benedic-  
tionem Abbatum; probabile autem est, quod  
Benedictio istiusmodi tum primum invaluerit,  
dum Abbates pontificalibus insigniri coe-  
pissent.

Caeterum ritus benedicendi Abbates coin-  
cidit cum ritu consecrationis episcopalis, re-  
ferturque in Pontificali Rom. in quo haec  
duo bene notanda recurrunt, 1. quod inter  
articulos examinis haec recenseantur: Visne  
res monasterii tibi commissi fideliter custo-  
dire, et in usus Ecclesiae, Fratrum, ac pau-  
perum, et peregrinorum distribuere? re-

spondet benedicendus, *volo!* ubi Episcopo traditur liber Evang. datur Abbatii regula sui ordinis his verbis: *Accipe regulam a S. S. Patribus traditam ad regendum, custodiendumque Gregem tibi a Deo creditum, quantum Dominus ipse Te confortaverit, et fragilitas humana permiserit.*

Interim probe advertendum est, quod impositio manuum in benedictione adhiberi solita non sit sacramentalis, sed tantum deprecatoria can. 1. dist. 49. Et quia cum confirmatione maximam habet analysis, non debet ultra trimestre protrahi cap. *quoniam* dist. 75. quod si contingeret, ut negligatur, Abbas jure suo non privatur, etsi id obtineat in consecratione episcopi, quae intra 6 menses peti debet; ratio disparitatis est in eo, quod consecratio respectu episcopi sit de substantia, benedictio vero Abbatum, quae juxta const. Bened. 14. de an. 1725 intra annum petenda est, sit solum solemnitatis, uti habetur cap. cit. de suppl. negl. prael.

---

---

## Caput III.

De usu, et collatione pontificalium.

### §. I.

Benedictionem Abbatum excipit usus pontificalium, videmus namque Abbates portare mitras, baculos Episcoporum adinstar gestare pastorales, in pectore crucibus exornari, quae eisdem non ex jure communi, sed ex privilegio videntur competere, ut liquet ex cap. *ut apostolicae de priv. in VI. conf. Rodriquez tom. 1. q. 19. art. 2.*

Hoc interim verum est, posse Abbates, qui pontificalium usum exercent, ea omnia, quae sine crysmate, et unctione peraguntur, consecrare, excipiuntur haud obscure per can. Consult. de consecr. d. 1. altaria, calices, corporalia etc.

Aliud privilegium Abbatibus jure novo competens est, ut post matulinum, et vesperas populo possint benedictionem impertiri, at hoc ipsum restrictum est ab Alex. IV. cap. 3. de priv. in VI. ubi dicitur: *In Ecclesiis,*

*quae ad eos (Abbates) pleno jure perti-  
nent, quando in eis, divina officia cele-  
brant, possunt post Missarum solemnia,  
et vespertinas, et matutinas laudes bene-  
dictionem solemnem elargiri. Alibi autem  
publice, aut per vias, civitates, et castra,  
et villas populis, et pleibus benedictio-  
nem facere, vel impertiri non valeant.*

Declarat praeterea Clemens IV. ut *Ab-  
bates, et alii, quibus mitrae usus est ab  
eadem sede pontificalia concessus, exempti  
quidem in provincialibus conciliis, et epis-  
copalibus Synodis, quibus nonnulli eorum  
interesse tenentur, mitris tantum nari-  
frisiatis, non tamen, aureas, vel argen-  
teas laminas, aut gemmas habentibus uti  
possint: non exempti vero simplicibus, et  
planis utantur. In aliis vero locis excep-  
tis, et non exceptis mitris liceat illis  
uti, prout concessa illis ab eadem sede in-  
dulta permittunt, habetur haec declaratio  
cap. 6. de priv. in VI.*

Audiatur hac super re S. Bern. qui I. de  
mor. et off. Episc. c. 9. ait: *Abbates multo*

*labore, et pretio apostolicis adepti privilegiis, per ipsam sibi vindicare insignia pontificalia, utentes et ipsi more Pontificum mitra, annulo, atque sandaliis. Sane si attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret professio; si ministerium solis liquet congruere Pontificibus -- Quo ista ô Monachi, ubi timor mentis? ubi rubor frontis? Quis unquam probatorum Monachorum tale aliquid aut verbo docuit aut reliquit exemplo? Quid putas, scribit ad Guil. Abb. in his omnibus quaeritur? poenitentium compunctio? an intuentium admiratio? ô vanitas vanitatum! Conf. Mabilon. praef. ad p. 1. Saec. 6. bened.*

### §. II.

Examinatis, quantum brevissime fieri poterat iis, quae ad usum pontificalium spectant, nunc ad illud privilegium, quod Abbatibus intuita collationis ordinum competit, descendamus oportet. Ordinem, qui caractarem imprimit, sacramentum N. L. esse definiuit Trid. sess. 23. de sacr. ord. c. 3. et 4. Hujus sacramenti varii sunt gradus tamquam par-

tes integrales, ordines etenim alii sunt *majo-  
res*, et sacri quia annexum sibi habent vo-  
tum castitatis, alii *minores*, utrique simul  
regale sacerdotium, cuius complementum  
episcopatus est, constituunt, de his videsis  
Cl. Rieger p. 1. edit. 2. C. 2. de Hier. Eccles.

Caeterum potestas benedicendi, sacrifi-  
candi, consecrandi res, vel personas proprie-  
solis episcopis congruit, Abbatibus autem ex  
privilegio tantum, prout liquet ex cap. Ab-  
bates de priv. in VI. cum hac tamen restric-  
tione, *ut eis non liceat aliis, quam suis*  
*monachis, et monasteriorum suorum con-  
versis, et qui ad illa convolaverint, et in*  
*quos ecclesiasticam, et quasi episcopalem*  
*obtinent jurisdictionem primam clericale-  
m tonsuram, et minores ordines conferre.*  
Idem habetur sess. 23. Conc. Trid. c. 10. quac-  
prohibitio etiam ad episcopos extenditur, et  
in transgressores poena suspensionis statui-  
tur in cap. ult. sess. 6. de reform. His verbis:  
*Nulli episcopo sub cujuscunque privilegii*  
*praetextu liceat pontificalia in alterius*  
*dioecesi exercere, nisi de ordinarii loci*

*licentia, et in personas eidem ordinario subjectas tantum, si securus factum fuerit Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi, quae poena potiori titulo Abbatibus extra limites suos ordinantes concernit.*

Pro calce hujus capituli quaeritur, utrum possint Abbates suos Novitios ordinare? At ab hac haud difficiili quaestione facile te expediveris, si cum Eminentissimo Petra tract. 1. pag. 338. num. 18. asseras, *jus ordinandi Novitios Abbatibus non competere; ratio petitur ex decreto Clem. VIII. quo cautum est, ut ordinandi ab Abbatibus sint subditi regulares, quales Novitii non sunt, cum regularis quis prius non dicatur, quam regulam sit professus.* His suffragatur Trid. sess. 23. de regul.

Nec quidquam contra nos evincunt illi, qui asserunt, Novitios titulo immunitatis personalis fieri subditos regulares; nam assertum istud, falsum ruit ex eo, quia privilegium fori et canonis non ex virtute vitae regularis, sed ex qualitate personae ecclesiasticae pullulat. Conf. Trid. sess. 23. c. 6.

---

## Caput IV.

De Juribus Abbatum quoad spiritualia in foro externo.

### §. I.

Abbati jurisdictionem internam in suos competere nullus ambigo quin seiat, quare de ea re, ut in longius, quam par est, dissertationem hanc meam protraham, disserere non vacat, nec otium est. De jurisdictione vero circa externum religiosorum statum in praesenti capite prolixiora adscribere haud inutile fore arbitror:

Jurisdictio Abbati per electionem confirmatione munitam confertur ita, ut vi illius spirituale in omnes, quibus praest, regimen exercere, et ferre sententiam etiam in invitatos possit: unde mirum non est, quod Abbas in S. S. Can. *Gladius* adpellitur. Haec ad varios sese actus extendit; cujusmodi sunt: corrigerre, inquirere in subditorum mores, punire contumaces, rebelles accersere, illorum nefandam compescere audaciam, votorum, si

in societatis praejudicium vergant, vincula dissolvere, quae omnia ex jure paternitatis, pastorisque Capituli pullulant.

Unde facile colligere est, quam in periculoso versentur statu Superiores illi, qui haec vident, et non exequuntur, qui partium studio abrepti quosdam coercent, aliorum errores dissimulant, et sic subditorum delictis proprium caput substernunt, ethinc non abs ratione ait conc. Trid. sess. 6. c. 1. de reform. *Ecclesiarum regimen esse onus angelicis humeris formidandum, dum, quo plus honoramur, plus periclitamur.* Conf. caa. 2. 2. q. 33. art. 2. §. in respons. ad 4.

## §. II.

Quum jurisdictioni, et juri praecipiendi correlata sit teste Cl. de Mart. Jur. Nat. c. 2. §. 85. parendi obligatio, nexus materiae jam exigit, ut quid obedientia, et quanta Abbatis in suos vi hujus sit potestas? paucis praestolemur. Obedientia, cuius dotes praecipuas explicat S. Bened. c. 5. S. Reg. quasi ab obe-

*diendo nomen habet, et est virtus moralis promptam redens voluntatem hominis ad implendum id, quod Superior jubet, de hac belle disserit S. Greg. lib. ult. mor. c. 12, ubi ait: Obedientia victimis jure, meritoque paeponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur.*

Quod religiosis perfecta Abbatii obediendi obligatio incumbat, quivis me etiam tacente intelligit; quippe cum certum sit, quod id non modo jus divinum positivum, sed et naturale, quod suum cuicunque dari oportere mandat, suadeat. Accedit, quod monachus voto, quod Psaltes regius psl. 75. et Ecc. 5. DEO reddi jubet, obedientiae, vi cuius se ad omnia essentialia sui status, immo et ad alia sine quibus intentio fundatoris frustratur, obstrictus sit.

Admonendi interim sunt subditi, ait S. Greg. ap. Grat. caa. 2. q. 7. c. 57. ne plus, quam expedit sint subjecti, ne cum student plus, quam necesse est, hominibus subjici, compellantur vitia eorum venerari.

Caeterum audacter assero, Abbatem non habere jus subditos ad id, quod supra regulam est, obligandi; nam c. gesta d. 74. dicitur: *Justum non est, ut aliquis crescat invitus*, super quae verba glossa ibidem ait: *Monachis, et Canonicis districtior vita imponi non potest.*

### §. III.

Caeterum regulas, ex quibus obligationis mensura metiri possit, texere prorsus difficile est, sunt, qui eam a praecipientis intentione juxta l. 1. ff. de const. quae dicit: *quod Principi placet, legis habet vigorem,* repetunt; at, quum de praecipientis voluntate clare semper non constet consequens est, exinde obligationis mensuram derivari haud posse. Alii eam a gravitate, vel parvitate ducunt, sed perperam, cum idem saepe objectum mutabile, et jam grave, jam leve secundum quantitatem moralitatis efficiat peccatum.

Quidam demum obligationis mensuram ex eo repetunt, si verba praecipientis modo

praeceptivo , et ut dicunt verbis imperativis proferantur; verum, si penitus perscrutetur, nec haec opinio paeplacet; num quid enim S. Aug. in princ. Reg. ad Fratres ait: Haec itaque, sunt, quae praecipimus, ut observeatis in monasterio constituti? et tamen nullo gravi paecepto dicta gravatur regula: Numquid non Christus etiam saepius praecipue Luc. 5. hujusmodi usus est verbis, quin graviter obligare vellet: idem esto iudicium de cap. 10. caa. 2. q. s. Hinc ultiro sequitur obligationis mensuram non aliunde deduci posse, quam ab eo, si adsit 1. gravitas verborum conjuncta cum gravitas materiae, et tunc sub mortali obligat: quod si 2. utrumque desit, ad veniale ligat. Si 3. verba paeipientis sint onerosa, et energetica transgressio erit lethalis.

## Caput V.

De Jure Abbatum quoad temporalia.

§. 1.

Omnia hodiecum monasteria paucis exceptis post declarationem Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de Regul. bonorum temporalium in communi esse capacia is solum, qui in canonibus peregrinus est, et advena, negaverit. Horum autem bonorum dominium penes singulos esse haud potest; quae etenim inter diversa sociorum genia confusio? quod totius societatis detrimentum oriretur? quare ratio suadet, jus dispensandi circa temporalia monasterii penes Abbatem esse, quod non obscure declarat can. nullus, caa. 18. q. 2.

Hanc interim diffiteor, Abbati plenum in temporalia jus non competere, quippe cum clare dicat Synod. Camer. de Mon. tit. 16. Superiores Regulares *sui meminerint officii, seque non dominos bonorum Monasterii, immo ne fructuum quidem, sed tantum*

*dispensatores, et administratores esse,  
neque se pro libitu dispensare posse, sed  
secundum intentionem Ecclesiae, et pio-  
rum Fundatorum.*

Hinc teste Zypaco consult. 6. de regul.  
in veteribus Canonibus laudabiliter cautum  
erat, quod Abbates, et Abbatissae adinstar  
administratorum, et curatorum quotannis co-  
ram conventu computum facere deberent.  
Videsis Bul. 18. in bullar. M. Gregor. XV.

## §. II.

Praeterea, cum Religiosus ad Praelaturam  
ejectus non dum cesset esse monachus teste  
S. Bern. ad Hen. Senon. cap. 9. ubi ait: *Neque  
enim, quia praelati monachis, ideo non  
monachi etc.* Nec dominus fit rerum seu im-  
mobiliū ceu mobilium, sed tantum dispen-  
sator rerum Monasterii, ut Synod. Cam. lo-  
quitur, consequens est, eum peccatum non  
effugere, si bona monasterii secundum suum  
genium expendat; nam jure naturali, quod  
violari citra reatum non potest, contractum,  
quem cum suis tacite inivit, servare tenetur;

D

quod si non faciat, procul dubio injustitiae et nefandae proprietatis sese reum constituit.  
Conf. cap. *quidquid.* caa. 16. q. 1.

Hoc reatu itaque ne se polluat Abbas, consensum capituli, quod in omnibus negotiis jus dandi consilium habet, requirat necesse est; oportet enim omnes, ut implicite, et quoad sensum habet Reg. S. Bened. qui sessione gaudent, capitulariter congregari, ut in unum simul congregati omnes, et singuli ex ordine suam dicant sententiam, quae jure decretalium non mere consultativa, sed in plerisque causis decisiva est.

Ascanius Tamburinus has recenset;  $\alpha$ . Si res monasterii immobiles, agros, prata, et alia oporteat alienare.  $\beta$ . Si Novitus ad professionem recipiendus est.  $\gamma$ . Si Monasterium gravetur aere alieno, obligationibus, aut cautionibus.  $\delta$ . Si monachus ad aliud Monasterium transfertur.  $\varepsilon$ . Si Abbas Monachis quaedam statuta supra, aut ultra regulam vellet impunere.  $\varepsilon$ . Si vellet praebendarios perpetuos in Monasterium recipere, vel quemquam ad confraternitatem spiritualem totius monasterii

adoptare. Sunt et alii casus, in quibus Capitulum jure dandi consilium, et requisiti consensus gaudet, at, ne longior sim, eos silentio praeterire volui, dixisse sufficiat, quod Abbas semper, dum suorum quoque modo interest, eorum consensum requirere debeat. In disciplina autem conservanda, redintegrandaque potest Abbas, et debet procedere quantum expedit, dummodo S. Regulam, et leges optandae, ac religiosae discretionis non transcendat. Vide Cl. Van Espen tit. 31. c. 4. de Mon. Superior. :

### §. III.

Ex eo quod Abbas, sicut in praecedenti paragrapho vidimus, sit solum administrator rerum monasterii, facile dimmetiri possunt jura, quae ipsi in contractus civiles, utputa donationem, empt. venditionem etc. rei familiaris congruunt.

Ast, ut ordinatim procedamus, notandum est, contractum esse conventionem, quae habet nomen vel causam praesentem, natura sua civiliter obligantem l. 7. §. 1. seq. ff.

de pactis. Differt contractus (licet in linea  
morum haec differentia non obtineat) a pac-  
tione, quia haec nec nomen, nec causam  
habet, et est duorum in idem placitum con-  
sensus de re solvenda, id est, facienda, aut  
praestanda: l. 1. §. 2. ff. h. tit. Pactum hu-  
jusmodi vel est *nudum*, vel *non nudum*,  
*legitimum*, aut *praetorium*. Conf. Cl. Hein.  
Elem. Jur. civ. lib. 3. tit. 14.

Contractus vero vel sunt *vere tales*, vel  
*quasi contractus*, priores aut sunt *nomina-  
ti*, ceu *innominati*, quales sunt illi quatuor:  
*do*, *ut des*, *do*, *ut facias*, *facio*, *ut des*,  
*facio*, *ut facias*, ex quibus actio *in factum*  
seu *ex praescriptis verbis* oritur. Nomina-  
ti vero in *reales*, quales sunt *mutuum*, *com-  
modatum*, *depositum*, *et pignus in verbales*,  
qualis est hodie *dum stipulatio*, vel tandem  
*consensuales* et sunt 5. videlicet *emptio*,  
*venditio*, *locatio*, *conductio*, *emphateusis*,  
*societas*, et *mandatum*, de his vide Cl.  
Hein. lib. 3. Elem. Jur. civ. tit. 24. et scqq.  
Nec praeteriri debent contractus *litterales*,  
qui per *chirographa*, et *syrapha*, nec

non per epistolam perficiuntur. Porro contrac-  
tus in genere aut sunt *unilaterales* (*μονο-*  
*πλευρας*) vel *bilaterales* (*διπλευρας*) de  
quibus consule Cl. de Martini Jur. Nat. c. 15.  
et seqq.

#### §. IV.

Jam, quid Abbas vi suaे dignitatis cir-  
ca praefata possit, videamus, ordimur autem  
a donatione, quae est liberalitas in accipien-  
tem nullo jure cogente collata, eaque sit vel  
*mortis causa*, et quidem sub duplice conditio-  
ne *mortis nempe vel non revocatae voluntat-*  
*is*, vel autem sit *inter vivos* pr. inst. h. tit.,  
prioris donationis speciem quod attinet, ma-  
nifestum est, Abbatem sic donare non posse,  
quia talis donatio naturam testamenti induit,  
cujus Abbas, utpote Monachus, capax non  
est ex can. 7. caa. 19. q. 3.

Quid vero inter vivos donare possit jure  
adhuc satis expeditum non est, sed potius  
ex circumstantiis ab exemplo nimirum timo-  
ratorum, ex redditibus monasterii, et con-  
suetudine antecessorum desumendum. Conf.

c. 3. h. tit. Quid vero juris circa emptionem, venditionem sit, sequentia dabunt.

Emptio venditio est *contractus consensualis de re pro certo pretio tradenda* l. pen. §. ult. ff. h. tit. ea, quae ad substantiam hujus contractus pertinent, videsis apud juris civilis interpretes, mea hic non interest de iis disserere, hoc num hic adscriptisse sufficiat, quod Abbas possit emendo, vendendoque meliorem facere monasterii conditionem, deteriorem non aequem cap. *Fraternitatem* 2. de donat. Quaestura vero et turpis lucri cupidio prohibita est cap. pen. et ult. de vit. et hon. Cler. in VI.

Caeterum suppositis ex jure civili lib. 2. c. 1. *rerum divisionibus*, notanda hic venit divisio rerum in praetiosas, et non praetiosas, in immobiles, et mobiles, harum priores Abbas sine consensu capituli alienare non potest; exceptio est 1. in emphyteusi ab antiquo dari solita, 2. in rebus immobilibus exi-gui valoris cap. terrulas 53. caa. 12. q. 2.

3. si necessitas, quae legem non habet, urgeat alienationem. 4. in fructibus, et bo-

nis, quae pro instantis temporis exigentia servando servari non possint per l. 22. et 24. de administ. tutorum.

Alias autem Abbas illud juris axioma præ oculis habere debet; nempe non *Dominus* (qualis Abbas est intuitu bonorum monasterii) *quod non habet, dominium in alterutrum transferre adeoque et alienare nequit* §. 40. inst. de rerum divis.

Quid vero Abbas circa emphyteusin possit, paucis indicabo. Est emphyteusis contractus consensualis de dominio utili praedii alteri in perpetuum, vel ad tempus non modicum pro certo anno canone in cognitionem dominii praestito, concedendo §. 3. inst. de loc. cond. et l. pr. ff. si ager, id est Emphyt. petatur. Potest itaque Abbas in emphyteusia sub conditione canonis annui, et laudemii dare rem, si sit de casibus supra recensitis, et de rebus ab antiquo in emphyteusin dari solitis, id est, requiritur, ut per duas saltem vices cum cursu 40. an. detur, ut tenet decisio 142. num. 4.

Eadem fere jura circa locationem, et con-

ductionem obtinent, quae est contractus consensualis de usu rei ad certum tempus, vel opera pro certa mercede praestandis I. 5. §. 1. ff. de V. S. quod si itaque locatio data sit ad triennium ab antecessore, eam successor potest propria autoritate confirmare in longius tempus, utile enim per inutile non debet vitiari reg. Jur. 36. in VI.

Haec de juribus Abbatum, quantum in compendio licuit, dixisse sufficiat, de quibus Tambur. et Van-Esp. fuisse disserunt. Vos autem Domini Abbates, vos estis a Domino constituti, ut Familiam suam regatis, et ei eibum in tempore et permanentem in Saecula detis. Ambulate in ea vocatione, in qua vocati estis, et cum jam delibamini, et tempus vestrae resolutionis instabit, repositam inueniatis vobis coronam justitiae, quam reddat vobis Dominus in illa die justus judex.

---

